

Petrus de Vinea

*Ep. V 59 (Solita benignitate
recepit nostra serenitas...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 59 (Solita benignitate
recepit nostra serenitas...)*

settembre 1246

Eidem, et super eisdem.

1. Solita benignitate recepit nostra serenitas litteras, quas misisti. 2. Per quas, quia percepimus ad tuam notitiam peruenisse ex relatione plurium, qui P., nuntio tuo, obuiauerant, per te cum M. de... captiuo ad nostram curiam destinato, quod idem P., tui mandati temerarie fines excedens, prefatum M. captum ad supplicationes quorundam per uiam solutum ducebat, cum te asseras eidem dedisse sub pena personae districtius in mandatis, ut semper usque ad curiam nostram cum compedibus et dextra in manu ducere deberet eumdem. 3. Et ideo supplicasti, quod, si sic sine dextra et compedibus dictum M. ad nos perduci contingeret per eumdem, non tibi sed solum fatuitati et ausui temerario eiusdem nuntii nostra dignaretur ascribere celsitudo, fidelitatis tuae noscat deuotio, quod idem P., nuntius tuus, supradictum M. cum compedibus et dextra in manu in marescalchia nostra caute et fideliter assignauit. 4. De eo autem, quod industria tua scripsit, ut super liberatione ipsius cautius procedere deberemus, taliter respondemus: quod ad eiusdem liberationem non antea procedemus, quam per te didicerimus, quid inde magis nostris expediat seruitiis et honori.